

14

DISSERTATIO INAUGURALIS  
MEDICO-CHEMICA  
DE  
**ANATHYMIASI  
CINNABARIS**  
QUAM  
DEO SOLO PRÆSIDE  
GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ  
CONSENSU  
**PRO LICENTIA**  
SUMMOS IN MEDICINA HONORES  
ET PRIVILEGIA DOCTORALIA  
RITE AC LEGITIME CONSEQUENDI  
IN  
INCLYTA ARGENTORATENSIVM UNIVERSITATE  
SOLENNI ERUDITORVM EXAMINI  
SUBMITTIT  
ANNO 1780. DIE II. NOVEMBRIS  
**DIONYSIUS PONYRKA**  
GLUCHOWO - RUSSUS.  
H. L. Q. C.

---

ARGENTORATI

Excudebat JOH. HENRICUS HEITZ, Academiæ Typ.



Artem experientia fecit  
Exemplo monstrante viam . . . .  
Et quæcunque sagax tentando reperit usus  
In commune bonum MEDICI comperta dedere.

MANIL. Astronomic. I. 61 - 83.

SACRÆ CÆSAREÆ MAJESTATI

AUGUSTISSIMÆ

OMNIUM RUSSIARUM

&c. &c. &c.

IMPERATRICI

ET

AUTOCRATRICI

CATHARINÆ

ALEXIEWNÆ II.

SACRUM.



AUGUSTISSIMA  
IMPERATRIX  
DOMINA CLEMENTISSIMA!

Prisci primitias frugum fructuumque, ut eo ipso digniores agerent grates votaque sua funderent ardentiora, Diis offerebant: ego vero studiorum meorum primitias, pro tot tantisque TUIS erga me beneficium, in perennem gratissimi animi significationem, SACRATISSIMO CÆSAREÆ TUÆ MAJESTATIS NOMINI ea, qua debeo fidelitate, ea, qua possum humilitate, ea, qua par est veneratione ac pietate consecro. TUÆ sunt, TUA enim excreverunt gratia. Leves quidem, rudiique Minerva exaratae, at, si clementer eas aspiceris, ponderosissimae futurae.

Novit jam totus orbis TE magnam Minervae patronam; ut, si in quem, tum omni jure in TE praeprimis

quodret dictum illud: *sint maecenates, non deerunt Flacce, Marones.* Propositis enim largissimis praemiis invitantur undique Eruditii, ut novis inventis locupletentur scientiae, accersentur artium periti, ut eaedem ad possibilem perveniant perfectionem; mittuntur juvenes munificentia TUA stipati in varias exteras regiones ad varia Minervae Emporia, ut ibi variis imbuantur scientiis, variis instruantur artibus & Patriae suae evadant utiliores. Quam multa, varia, nova & rara, ex omnibus tribus naturae regnis, inventa, detecta, descripta & orbi Eruditorum communicata a litteratis TUIS, qui, iussu TUO & sumptibus ubique vastissimi TUI regni peregrinatum missi erant.

Haec TUÀ generosissima molimina, hanc TUAM intensissimam curam & sollicitudinem, hunc TUUM vividissimum erga Patriam amorem & ardorem quis non videt, quis dubitat ad unam eandemque properare metam? ut, in omnibus amplissimi TUI imperii regioni-

bus scientiarum artiumque jacta semina eo facilius, eo ci-  
tius ad amoenissimos flores & maturos fructus perenni  
circulo ex crescere, adolescent, perveniant; ut hoc ipso fi-  
deles TUI subditi non amplius discentes, sed jam docen-  
tes; non aliorum inventu imitantes, sed jam ipsis nova  
reperientes, observantes, excogitantes evadant, fiant.

Miratus cum RUSSIA omnis Europa excelsas ani-  
mi TUI dotes; sapientissimas TUAS pro salute pu-  
blica suscepas institutiones; studia TUA ad felicitatem  
& fortunam civium populorumque TUORUM am-  
plificandas summo ardore conversa. Singulas alii, TU  
omnes virtutis dotes complectezis, nec deest TIBI aliquid  
ad perfectionem. Non capiunt TE angustae hae pagel-  
lae, QUAM totus fere non capit Oriens. Una manu  
Meridiem, altera Septentrionem tenes, terrarum aequa  
ac marium DOMINA. Senxit fulmen exercitus TUI  
Chersonesus Taurica, cuius Victoria eo majorem TIBI  
appor tavit gloriam, quod gentes ejus armis TUIS jam



derictas & Sceptro TUO subatas, nolueris sub jugum  
abire, sed veteri illo Turcarum iugo a cervicibus eorum  
dejecto, libertate illas donasti; & sic ipsi TUI inimici  
servatus se quam vicos a TE vident, credunt, fatentur.  
Quot millia gentium Christianazum exinde eduxisti, &  
alique omni tributo terras TUAS inhabitare, rusticari,  
artes scientiasque omnis generis exercere, commercia pro-  
moveere clementissime concessisti. Vicit triumphantem  
TUAM classem servens Archipelagus ab accensa &  
penitus derastata Turcarum classe. Exultat Pontus Eu-  
xinus videns subditos TUOS navigantes & commercia  
promoventes, qui tot secula impervius erat, nunc vero a  
TE reclusus. TUA manus arrogantem & toties foe-  
deza rumpentem Ottomannicam Portam domuit, ad pa-  
cem quaerendam, &, admissis omnibus a TE propositis  
conditionibus, in gratiam redire coegerit.

Verba me non argumenta deficerent, si per singula  
eundo, MAGNÆ CATHARINÆ opera comme-

morare vellem : agit ideo fidelis RUSSIA maximas  
Deo grates pro tanto munere sibi conceffo, & uidentissi-  
ma pro SAPIENTISSIMA SUA IMPERA-  
TRICE vota fundit. Intelliget demum mirabunda seza  
posterioritas rezum à TE gestarum magnitudinem. Sed  
quid Oceano gutta? quid Soli facem? laudari non cu-  
pis, sed laudanda gerere! Omnem hoc ipso supergressa  
gloriam, cui eloquendae totus Orbis factus est orator. Vi-  
ve hostium terroz, TUORUM deliciae, multorum tu-  
tela & anchora! aetate Nestorem, sapientia Salomo-  
nem, fortitudine Alexandrum superans, & sequente  
seculo tot immarcescibiles gloriae palmas, quot ho-  
stium cervices mete! ita rovet

SACRÆ TUÆ CÆSAREÆ  
MAJESTATIS

SUBDITISSIMUS SERVUS  
DIONYSIUS PONYRKA.






## PROœMIUM.

**P**utas, imo jure, frontem dissertationis si respicias, me propositi mei ex abrupto, quod ajunt, a cinnabaris suffitu exordium facturum; sed cum suffumigia, licet alia, longissime a luis venereæ ortu, jamjam a medicis ad varios morbos, imo ipsi etiam lui venereæ curandæ, præter cinnabarina, varia alia, iterum, quam illa antiquorum fuere, diversa, adhibita fuerint; nolui ideo ut lectorem meum horum omnium, antequam ad cinnabarim perventum fuerit, fugiat historia. Tractatur itaque primo, an suffitus cinnabaris primis medicis notus erat? Secundo demonstratur via, qua ille in medicinam ad curandam luem venereum olim introductus fuit. Tertio recensentur etiam alia, quæ sub eadem forma, & in eundem, ac cinnabaris, adhibita fuerunt finem. Quarto ostenditur, qua methodo suffumigia illa olim adhibita, qui exinde secuti fuere eventus, & quomodo eadem hodie a plebe instituuntur? Quinto probatum itur, ut ajunt a priori, methodum, per suffumigia cinnabrina luem ve-

A

nereum curandi, inefficacem, nec tutam, imo periculosa esse, simulque perpenditur, an eadem in malis saltem topicis, a lue venerea ortis, ut quidam, magni cæterum nominis, autores, vel nostra ætate putant, locum obtinere possit? quamobrem propterea medicina rejicienda est, cum habeamus tutiora, efficaciora, & ad malum venereum penitus eradicandum valentiora. Habes ergo plura, quam quæ frons dissertationis promittit, legenda, brevissime tamen contracta. Non deerunt, ut opinor, qui, materiam hanc, a multis ad nauseam usque jam pridem tritam, &, tanquam suspectam imo periculosam ex foro medico, maximo mortalium commodo, jam diu, saltem a sapientioribus, propterea expulsam, me eligisse mirabuntur. Felix certe patria, ubi, a methodo hac luem venereum curandi, tantum abest ut medici vel chirurgi, tanquam rationales, ut etiam, bono eorum consilio, agyrtæ, circumforanei, balneatores, emeritæ in palestra veneris anus, & quivis alii de fæce plebis propterea abstinuerint; sed proh! mihi de mea ultimum gloriari non licet: cum ab his sacra hæc, per suffumigia cinnabarinæ luem venereum curandi methodus ad hunc usque diem, maximo mortalium damno, quod mihi ipsi aliquoties videre contingit, hinc inde exerceatur. Cujus ergo, civium, populique saluti omnibus modis prospicere, maxime interest? Medici, in Deum, Patriam, & proximos pii, atque cordati. Fallor, ni omnes, ad commune bonum, nati simus. Hæc causa, hic finis dissertationis esto.





## I.

*An suffitus cinnabaris primis medicis notus erat.  
tractatur.*

## S. I.

**I**cet suffumigia vetustissimis jamjam temporibus ad plurium morborum curationem in medicina adhibita fuerint; compertum enim est eam medicationis formam olim laudatam & usurpatam fuisse ab HIPPOCRATE ad anginam *a*); ad fluores muliebres *b*); ad varia uteri vitia *c*); ad muliebria educenda *d*); a CORNELIO CELSO ad dolores nervorum *e*); ad vulnus a scorpione inflictum *f*); ad suffusionem *g*); a CLAUDIO GALENO, ad scirrum *h*); ad muliebria educenda *i*); ad fœcunditatem dignoscendam *k*); ad dyspnœam *l*); nec non ab universo medicoorum posteriorum, tam Græcorum & Latinorum, quam Arabum & Christianorum quoque choro, qui ante ortum luis venereæ in Europa vixerunt; sed inter hæc omnia, licet varia ab iisdem adhibita fuerint, prout in locis cita-

*a*) Lib. 2. *de morbis*.

*b*) *De morbis mulierum* Lib. 2.

*c*) Ibidem, *de his, quæ uterum non gerunt* & *de natura muliebri*,

*d*) Aphorism. 28. Sect. 5.

*e*) Lib. 3. Cap. 27. Art. 2.

*f*) Lib. 5. Cap. 27. Art. 2.

*g*) Lib. 6. Cap. 6.

*h*) Lib. 2. *Method. medendi ad Glaucos* Cap. 6.

*i*) Comment. 5. ad Aphorism. 28.

*k*) Ibidem ad Aphorism. 59.

*l*) *De remed. parabil.* Lib. 1. Cap. 9.

tis videre est, nullam cinnabarinæ suffitionis apud prædictos autores reperire est mentionem.

## §. II.

Non leve sane ad demonstrandam & affirmandam hanc veritatem, veterum de hydrargyro opinio, suppeditat robur; utpote qui illum tanquam deleterium damnarent. Notus ille olim ARISTOTELI *m)* & THEOPHRASTO ejus discipulo *n)* PLINIOQUE *o)*, atque ab usu medico diu exclusus, ut qui diceretur venenosus. Sic olim creditus fuit a DIOSCORIDE *p)* vim habere pernicialem potus suoque pondere interna exedere. Sic a GALENO *q)* relatus fuit inter deleteria, quamvis hoc GALENI de hydrargyro iudicium aliorum sententia potius quam sua niti videatur, cum fateatur ipse alibi *r)*: se nullum unquam hydrargyri periculum fecisse, interimat ne interne sumptus, an externe admotus? Sic demum ab universa medicorum posteriorum turba cum DIOSCORIDE & GALENO consenteiente proscriptus fuit, ut apud ORIBASIVM *s)*, AEТИУM *t)* & PAULUM AEGINETAM *u)* de eodem prostat. His itaque se habentibus, quid dubii restat ut concludamus, vetustiores cinnabarinæ suffitionis latuisse? cum constitutivarum ejus partium una (hydrargyrum volo) ab iisdem pro veneno habita fuerit.

*m)* Meteorolog. Lib. 4. Cap. 8.

*n)* Lib. de lapidibus, nomine Argenti fusi.

*o)* Histor. natur. Lib. 33. Cap. 6. nomine Argenti vivi.

*p)* De medicinal. materia Lib. 5. Cap. 110. & Alexipharm. Cap. 28.

*q)* De simpl. medicam. facultate Lib. 4. Cap. 19. & Lib. 5. Cap. 19.

*r)* Ibidem Lib. 9. Cap. 3. Artic. 32.

*s)* Medic. Collect. Lib. 13.

*t)* Tetrabib. 1. Sermone 1. Cap. 1. & Tetrabib. 4. Serm. 1. Cap. 79.

*u)* De re medica Lib. 5. Cap. 62.

## II.

*Demonstratur via, qua cinnabaris suffitus in medicinam, ad curandam luem venereum, olim introductus fuit.*

## §. III.

Arabes tamen medici, minime vetustiorum præjudicio addicti, maluerunt suis potius periculis hydrargyri virtutem experiri, quam opinioni suorum in arte medica antecessorum adhærere. Primi itaque omnium ausi sunt argentum vivum exterius in forma unguenti adhibere: tum ad pediculos enecandos, ut constat ex RHASE v), SERAPIONE x) & AVICENNA y) ubi proponitur adversus pediculos unguentum ex argento vivo plerumque cum additis cineribus filicis & aceto: tum ad scabiem, herpetem, cæterasque cutis defædationes sanandas, ut liquet ex AVICENNA & SERAPIONE locis jam citatis, & ex MESUE z) ubi ad scabiem, impetiginem, & phlegma grossum, ut ajebant, duo adducuntur unguenta, ex multis quidem aliis composita, sed quibus immixtum est argentum vivum saliva extinctum.

## §. IV.

In hoc mercurii vivi usu Arabes, fere omnes medicos, qui in Europa non solum ante, sed & post renata litterarum studia, claruere, habuerunt sectatores. Sic in pedicularum perniciem unguenta mercurialia a PETRO HISPANO a), celebri Medico, qui summus Pontifex creatus erat anno 1276; a GUILLELMO VARIGRANA b), qui

v) Lib. 9. ad Almansorem.

x) Lib. de simpl. medicina Cap. 385.

y) Lib. 2. Tract. 2. Cap. 47.

z) In Antidotario distinctione II.

a) In thesauro pauper. Cap. 4.

b) In secretar. subl. Tract. 3. Cap. 9.

Genuæ medicinam cum laude fecit, circa annum 1300; a BERNARDO GORDONIO *c*), qui Montispessuli cum fama docuit anno 1305; a GUIDONE DE CAULIACO *d*) Summorum Pontificum Clementis VI. & Urbani V. Capellano & Medico ab anno 1348 ad annum 1363; a VALESCO DE TARANTA *e*), qui medicinam Mospelii professus est anno 1418, præscribuntur. Sic etiam unguenta similia contra scabiem variasque scabiei species, ut malum mortuum, phlegma falsum, asphati &c. adhibita fuerunt a ROGERIO PARMENSI *f*), Medico circa annum 1250; a ROLLANDO CAPELLUTO *g*), Medico circa annum 1268; a THEODORICO *h*), Medico celebri circa annum 1280; ab ARNALDO DE VILLANOVA *i*) circa annum 1300.

## §. V.

Inter omnia unguenta mercurialia tunc temporis usū receptissima famosum fuit olim *unguentum Saracenicum*, ideo sic dictum dubio procul quod ab Arabibus seu Saracenis acceptum putaretur, & quod præter alia continebat *saphidem agriam* certum satis infectis cutaneis venenum: si enim hæc semina contrita capillis insperguntur, pediculos necant. Cum autem unguentum illud nonam partem circiter contineret argenti vivi, potuit sane cuti applicatum salivationem mouere in plerisque, licet raro æger se ungeret hoc unguento. Et sane constat, nec PETRUM HISPANUM, nec THEODORICUM, nec GUIDONEM, hujus unguenti Saracenici effectus latuisse, qui illo in perniciem

*c*) LILII particul. 2. Cap. 9.

*d*) Chirurg. magn. Tract. 6. Doctrin. 1. Cap. 3.

*e*) PHILONII Lib. 7. Cap. 14.

*f*) Chirurg. Lib. 1. Cap. 42. de *morphea alba*.

*g*) Chirurg. Lib. 1. Cap. 15. de *Rima seu Ruffa Capitis*.

*h*) Chirurg. Lib. 3. Cap. 49. de *malo mortuo*.

*i*) Medic. practic. Lib. 2. Cap. 43. de *scabie seu pruritus*.

pedicorum usi fuerunt; duo enim posteriores diserte  
monent: hoc linimentum facere educere superfuiditates per  
os, balneando (bavando) & per subascellas refudando;  
additque GUIDO: "Argentum vivum nocere membris  
principalibus & dentibus atque gingivis," ideoque va-  
ria proponit gargarismata, quæ ab ore interiore noxam  
arcerent. PETRUS vero Hispanus, proposito unguento  
suo Saracenico, quod argenti vivi partem octavam reci-  
pit, quod ille vocat *unguentum pretiosum ad scabiem*, &  
cujus efficaciam expertam esse ait, sic pergit k): hoc un-  
guento ungatur patiens a parte cubitorum posteriore us-  
que ad tres digitos versus manus, & a superiore parte ge-  
nuum usque ad tres digitos inferius: ungatur ad solem  
vel ad ignem post nonam: & si videris phlegma ad vomi-  
tum vel inflaturam superiorum ascendere, cessa ungere:  
sin autem, unge usque ad VII diem. Ex his concludit ce-  
leber, ASTRUC l) de prædictis auctoribus sic: illos autem  
primos omnium fuisse opinor, qui salivationem observa-  
verint, cujus antiquiorem nullum medicum, nisi forsan  
Alsaharavium meminisse credimus, & qua tamen notabile  
incrementum medicinæ accessit, detecta nempe nova &  
antiquioribus Medicis incognita novæ evacuationis via.

## §. VI.

Notandum vero est, omnes illos supra commemo-  
ratos auctores, qui unguenta mercurialia ad pediculos  
enecandos & varias cutis defædationes externe adipicare  
ceperunt, floruisse diu antequam lues venerea cognita  
fuit, per consequens & unguenta mercurialia ante ejus-  
dem ortum jam in medicina externe exhibita fuerant.

k) *Thesaur. pauper. Cap. 76. de scabiei curatione.*l) *De morb. vener. Lib. 2. Cap. 7. editione secunda.*

de cinnabarino vero suffitu nihilum quidem apud eosdem auctores constat; non vana ergo conjectura est, si lere illos de tali re, cuius & ipsi suo adhuc tempore expertes fuere.

### §. VII.

Cum autem lues venerea, infelice sidere, in orbe nostro fese manifestaret, quæ tunc temporis, consensu fere omnium Medicorum, pro novo reputabatur morbo, & vidissent Medici eam a die in diem magis magisque sæviare & tam pertinacem esse, ut omnibus adhibitis artis cognitæ moliminibus non cedat, obstupuerunt merito, cum nullum huic similem tractassent antea morbum. Unde plures fuerunt, qui declinabant omnino ægris lue venerea affectis medicinam præbere; alii obiter tantum tractabant malum, dum nondum ulla medendi methodus cognita erat; hinc pertæsi molestiarum, & morbi indomabili ferocia territi ægros suæ sorti relinquebant. Crescente tamen infectorum numero non poterant amplius negare auxilium miseris, debebant ideo omnem mouere lapidem omnesque intendere nervos in quærendis ad debellandum hoc malum medicamentis. Et cum scirent medici, qui primis luis venereæ temporibus vixerunt, unguenta mercurialia ad impetiginem, herpetem, scabiem, cæterasque cutis defædationes, tum ab antiquioribus medicis jampridem cum successu adhibita fuisse, tum a se ipsis quotidie feliciter adhiberi, & vidissent, luem venereum in initio cutim pustulis ac ulceribus mali moris defædere, quæ omnia a scabie, herpete &c. parum differre, aut saltem convenientiam habere videbantur, inde primum ipsis fuit, iildem unguentis ex argento vivo parasitus, novum morbum luem scilicet venereum ex analogia tentare curare, quo in casu optime secuti sunt CORNE-

LII CELSI consilium, qui au<sup>r</sup>tor est in præfatione: " Ut  
 " si incidat mali genus aliquod ignotum, non ideo Me-  
 " dicus de rebus cogitet obscuris, hoc est, in ignota in-  
 " quirat remedia ex conjectura, sed protinus videat, cui  
 " morbo id proximum sit, tentetque remedia similia il-  
 " lis, quæ vicino malo s<sup>e</sup>p<sup>e</sup>e succurrerint, & per ejus fi-  
 " militudinem opem reperiat "

## S. VIII.

Hæc methodus curatoria licet ex sola analogia pe-  
 tita, non spernendos tamen suis præstitit teutatoribus ef-  
 fectus, qui multis & celebribus medicis, quorum pleris-  
 que luis venereæ exordia videre contingit, de variis un-  
 guentis mercurialibus laudandis & proponendis, anfan-  
 præbuere, quales sunt: CORADINUS GILINUS *m)* & CAS-  
 PAR TORRELLA *n)* anno 1497. SEBASTIANUS AQUILA-  
 NUS *o)* anno 1498. ANTONIUS BENIVENIUS *p)* & WEN-  
 DELINUS HOCK *q)* anno 1502. JACOBUS CATANEUS *r)* an-  
 no 1505. JOHANNES WOCHS *s)* anno 1508. JOHANNES  
 ALMENAR *t)* anno 1510. JOHANNES BENEDICTUS *u)*,  
 circa annum 1510. JOHANNES MANARDUS *v)* circa an-  
 num 1520. ut multos alios omittam, instar omnium  
 potest esse JOHANNES DE VIGO *x)* qui chirurgiam cum

- 
- m)* In opusculo *de morbo gallico*.
  - n)* In tractatu *de pudendagra*.
  - o)* In tract. *de morbo gallio*.
  - p)* In lib. *de abditis morb. causis*.
  - q)* In lib. *de mentagra*.
  - r)* In tractatu *de morbo gallico*.
  - s)* In tract. *de pestilentia anni MDVII. & ejus cura* 1508.
  - t)* In libello *de morbo gallico*.
  - u)* *De morbo gallico*. Cap. 4.
  - v)* In epistola ad MICHAELM SANTANNAM Chirurgum.
  - x)* Prædictæ lib. *z. de morbo gallico* Cap. 3.

Iaude exercuit, qui ipsi morbi venerei ingressui coetaneus vixit, & qui tractatum de eodem affectu circa annum 1514 conscripsit, ubi sic expressis verbis loquitur: " Quid, quid boni inventum fuit, tam de localibus quam universalibus auxiliis pro curatione hujusmodi morbi gallici (& crede mihi tanquam experto in tali re) a THEODORICO, Capitulo de malo mortuo, & ARNALDO DE VILLANOVA, Capitulo de cura scabiei, accepimus". ANGELUS vero BOLOGNINUS <sup>y)</sup> Medicinæ Doctor & Chirurgiæ Professor in Academia Bononiensi anno 1506. dertissime & enucleatissime omnium varia unguenta mercantalia describit.

### §. IX.

Quod primum mercurii in curanda lue venerea adhibendi inventorem attinet, FALLOPIUS <sup>z)</sup> hanc prærogativam JOHANNI BERENGARIO Carpensi Medico & Professori Chirurgiæ, primum in Ticinensi & demum in Bononiensi Academia, qui floruit anno 1520. tribuit, dum ait: " Solum illum coluisse secretam hanc medicinam ". Sed celeber. ASTUC <sup>a)</sup> aliter hac de re fentit, dicens: " Vix in eam opinionem adduci possum, ut putem JOHANNEM BERENGIARIUM Carpensem primum mercurii in lue venerea adhibendi inventorem fuisse, sed facile crediderim & hunc & JOHANNEM DE VIGO huic coetaneum egregios fuisse mercurialis therapejæ promotores, qui ea methodo ægrotantes quam plurimos curandos susceperint, & perfecte sanaverint, unde sibi comparavere & famam & divitias optimas &c ".

### §. X.

<sup>y)</sup> In tractatu de unguentis Cap. 6.

<sup>z)</sup> De morbo gallico Cap. 76.

<sup>a)</sup> De morbis venereis Lib. 2. Cap. 7. editione secunda.

## §. X.

Patet ergo, mercurii in unguento externe ad Iuem venereum adhibendi usum post apparitionem ejus in Europa citissime a Medicis tractum fuisse, qui se cum commendabilem in hoc etiam malo reddiderit, ceperunt Medici, ut qui ægrotantibus metuerent a remedio nondum satis explorato, in convenientem horum unguentorum præparationem & limitandam mercurii dosim accuratius inquirere, simulque de aliis etiam formulis ad hunc scopum facientibus sedulo cogitare; inde factum, ut, præter alia, cinnabaris etiam in suffitus forma eodem ipso tempore ac unguenta, tentata fuerit in curanda lue venerea ex analogia; qua de re celeber. ASTRUC b) sic monet: „ut „illitus & illitus quidem ex hydrargyro usum habuere primis nascentis morbi temporibus, sic suffitus etiam, & suffitus quidem ex hydrargyro nihilo tardius in usu fuerunt, adeo ut hoc utrumque remedii genus inter antiquissima luis venereæ auxilia merito recenseatur, longe certe antiquiora decocto guajaci, remediisque omnibus, quæ chemia ex argento vivo conficit ore assunienda.

## III.

*Recensentur etiam alia, quæ sub eadem forma & in eundem finem, ac cinnabaris, adhibita fuerunt.*

## §. XI.

Etsi omnia experimenta, quæ prima vice ex proprio cujusque arbitrio vel circumstantiis urgentibus instituuntur, sint incerti eventus nec non sæpe periculosa; sed cum tentando omnia reperiamus, omnesque artes sola experientia inventæ sint, ideo præter cinnabarim alia etiam,

b) *De morbis venereis Lib. 2. Cap. 8. editione secunda.*

ut sandaracha græcorum seu arsenicum rubrum, & risi-  
gallum seu auripigmentum, vulgo arsenicum citrinum,  
& multa alia ex regno vegetabili in eundem finem ad suffumigia, ac cinnabaris, a veteribus adhibita fuerunt, imo  
procedente tempore, cum vulgatoria fuerint præparata  
mercurialia varia, quæ chemicorum industria suppeditavit,  
moris fuit suffimentis addere præcipitatum rubrum,  
turpetum minerale, quin imo sublimatum corrosivum,  
quorum nota est draſtica acrimonia & deleteria proprietas;  
sed rara fuit tam inconsulta audacia atque demens temeritas, & hanc ob causam brevi eviluit.

### §. XII.

Primi omnium, qui suffitionum mentionem ad curationem luis venereæ fecerunt, & qui inter vetustissimos de lue venerea scriptores numerantur, sunt ANGELUS BOLOGNINUS, Chirurgiæ Professor in Academia Bononiensi anno 1506; & JACOBUS CATANEUS, Medicus Genuensis qui florebat eodem circiter tempore; quorum primus, postquam explicavit, quæcunque ad administrationem unguentorum mercurialium spectant, querit c) utrum inventantur alia medicamina similem qualitatem habentia, ita ut ex eorum approximatione ad membra, inducant tales evacuationem (scilicet ptyalismum) respondet ipse: dicendum esse quod sic, non tamen a natura præfati medicaminis (hydrargyri) denudata valde, ut suffumigia. Alter multo disertius & suffumigiorum materiam & suffumigandi modum exponit: quidam d) inquit, in curatione horum, ex hoc morbo, languentium, vice malagmatum suffitionibus ex cinnabari utuntur, & mirabilia quandoque operantur. Sed hæc curationis methodus a nullo

c) Libro de unguentis Cap. 6.

d) De morbo gallico Cap. 9.

enucleatus & fusus describitur, quam a NICOLAO MASSA, qui id unum agit e) ut varias tradat suffituum formulas, peculiares suffitionis modos proponat, mirandas suffumigationis virtutes & utilitates extollat.

### §. XIII.

Modus hic luem venereum per suffumigia curantiam increbuit, ut ex tempore eo multi extiterint autores, qui, singulares de lue venerea scribendo tractatus, expressam suffituum etiam mentionem fecerunt. Sic methodus ea medicationis speciatim tractatur, a PETRO ANDREA MATHIOLO f); a HIERONYMO FRACASTORIO g); ab AUGERIO FERRERIO h); a GUILLELMO RONDELETIO i); a GABRIELE FALLOPIO k); a LEONARDO BOTALLO l); ab ALEXANDRO TRAJANO PETRONIO m); a GEORGIO DORDONO n); ab HIERONYMO CAPIVACIO o); ab AURELIO MINADOO p); a HERCULE SAXONIA q); ab ALEXANDRO MASSARIA r); ab ANDREA CÆSALPINO s); ab EUSTACHIO RUDIO t); ut tempori parcam, multos alias inferioris notæ nec recensere e re esse duco.

e) Lib. 5. Tract. de morbo neapolitano.

f) Opusc. de morbo gallico.

g) De morbis contagiosis Lib. 3. Cap. 10.

h) De pudendagra Lib. 1. Cap. 10. & 14.

i) De morbo italicico in fine.

k) De morbo gallico Cap. 69.—75.

l) De lue venerea Cap. 24.

m) De morbo gallico Lib. 6. Cap. 18.—21.

n) De morbi gallici curatione Tract. 3.

o) De lue venerea.

p) De virulentia venerea.

q) De lue venerea Cap. 39.

r) Praef. Med. Lib. 6.

s) Art. Med. Lib. 4. Cap. 8.

t) De morbo gallico Cap. 13.

## §. XIV.

Inde suffimenta, pro diversa conditione specierum ex quibus constabant, benigna alia, alia maligna appellabantur. Priora ex resinis, gummatibus, aromatibus, & lignis pinguioribus componebantur; posteriora præter allatas materias, alia etiam pharmaca, ut sandaracha Græcorum, auripigmentum, & præparata mercurialia, ut jam supra relatum, aut cinnabarim, quæ ea ætate a multis pro veneno habita fuit, in sui compositionem recipiebant.

## IV.

*Ostenditur, qua methodo suffumigia illa olim a medicis adhibita, qui exinde secuti fuere eventus, & quomodo eadem hodie a plebe instituuntur.*

## §. XV.

Species illæ, quas ad suffumigia ex morbi indicatione feligere usum fuerat, in tenuissimum pulverem redactæ, solebant vel in forma pulveris, cujus pugilli aliquot prunis inspergebantur, vel, ut diutius ignem nutrire possent, cum aliis materiebus, ut terebinthina aut styrace liquida in pastillos, trochiscos vel tabellas formatæ, ad suffumigia adhiberi. Æger, quoties suffumigiis locus esse videbatur, bene prius præparatus, nudus, stans vel sedens, concluso vel exerto capite, conopeo includebatur, per cuius fenestram, ad hunc usum factam, in appositum ad pedes crucibulum prunis plenum aliquid ex supra dictis speciebus per vices conjiciebatur. Ægri, qui toti in conopeo conclusi erant, in imminentे deliquii periculo iubebantur os foramini in hunc usum fabrefacto applicare, ut novo aëri liber ad pulmones aditus esset, vel eundem per fistulam, cujus extreum foris extaret, trahere. De-

tinebantur ægroti magis minusve diu in conopeo, pro morbi gradu, symptomatum vehementia, & virium integratitatem. FALLOPIUS u) narrat: se sua ætate suffitiones per horam integrum, aut dimidiā, aut per quartam vel tertiam horæ partem, prout valebat pati æger, plerumque protraxisse; deductus inde æger in cubili calefacto collocabatur & stragulis bene contegebatur, ut sudaret per unam alteram horam, postea absterfo sudore vini hauustus porrigebatur, & demum post aliquod tempus cibus concedebatur. Suffitiones ejusmodi quotidie, vel tertio tantum aut quarto quoque die, pro morbi vehementia aut virium robore adhiberi solebant; iterabantur vero fexies, septies, octies & novies, imo pluries, donec aut ptyalisinus, vel alvi fluxus succederent, aut symptomata morbi evanescerent. Variam in variis subjectis præstabant hæ suffitiones evacuationem; sed triplex in plerisque teste FALLOPIO v) observabatur: solvabant ventrem & deducebant excrementa ad intestina, sicut pharmacum purgans; evacuabant fere semper per pulmones ac fauces, scilicet spitatione & ptyalismo; vacuabant per sudorem insignem.

### §. XVI.

Viderunt porro Medici antiquiores suffumigia illa benigna appellata, et si innocua, inefficacia tamen ad tollendum malum venereum, quapropter nec opem sibi in iisdem ulterius quæsiverunt; fatebantur ultro iidem, ut qui experientia edocti, suffumigia illa maligna dicta, esse remedium forte, sed non tutum, nec sine periculo, maxime vero cum suffumigia, ut efficacia essent, haud exiguum partem reciperent utriusque arsenici, quin imo cum non deessent inconsiderati nonnulli, qui præcipitatū

u) *De morbo gallico Cap. 72.*

v) *Idem ibidem Cap. 70.*

rubri, turpeti mineralis, vel sublimati corrosovi partem aliquam auderent superaddere, minime ergo mirari licet, si hoc remedii genus non raro exitiale fuerit non modo infirmis, cachecticis, pulmonariis, incommodae valetudinis, senibus, sed etiam adolescentibus, robustis, validis, optimae corporis constitutionis, quibus pulmones sani, ceteraque viscera incorrupta essent. Actum agerem, si de successibus horum suffumigiorum auctores in testimonium hic loci adducere vellem, cum inferius occasionem habebo de iisdem uberius differendi; hic tamen id addendum esse puto, quod multi jam sibi persuasi erant, non amplius talia administranda esse; sed cum non ex omni parte Medici de his remedii inter se consentirent, ideo nec in totum haec medendi ratio in desuetudinem abiire potuit.

### §. XVII.

In his itaque rerum circumstantiis, cum causa capitalis ageretur, prudentiores Medici id negotii sibi impendere probe intellexerunt, ut medium quoddam tenerent, neu approbantium elogiis nimium confisi nocuam admitterent, neu improbantium vituperiis male deterriti, salutarem Medicinam repudiarent. Perpernis itaque rite omnibus & tam prosperis ac infaustis horum remediorum successibus suo momento utrinque ponderatis, ad accuratissimas therapeuticae Medicinæ leges majori consensu attingere visum erat. Inde factum, ut ex suffimentis ad curandum malum venereum adhibendis, non modo arsenicum utruique, sed etiam præcipitatus ruber, sublimatus corrosivus, aliaque excluderentur, sola vero cinnabaris, quam omni noxa vacare, & quam ad morbi venerei curationem efficaciter valere credebatur, retineretur. Noluerunt tamen Medici, ut cinnabaris haec sim-

pliciter ad suffumigia adhiberetur, sed ut aliæ res quædam paucæ tamen, ad gratum odorem conciliandum & fumum copiosiorem diuturnioremque exhalandum, ei admiserentur. Judicium hoc non ex conjectura, aut inanis artis ostentatione, sed ex cauſa afflumi persuasi fibi videbantur. Nempe si sudores effent movendi, styracem, nucem moschatam, succinum &c. quæ poros recluderent; si ulcera curenda, myrrham, mastichen, olibanum &c. quæ siccarent & detergerent, ad rem facere aestimabant. Ceterum suffitiones cinnabarinae plane eodem modo, sub iisdem cautionibus, prout ægri conditio, vel morbi contumacia concedebant, eadem iteratione vel per intervalla, ut superius jam relatum, administrabantur. Quod dosim ejus spectat, ALEXANDER TRAJANUS PETRONIUS in libro sexto *de morbo gallico* x) monet: „non debere „in singulis suffumigiis excedere unciam, nec minorem „esse semiuncia”.

### §. XVIII.

In hunc modum & ad has Medicinæ leges Anathymiasis seu suffitio Cinnabarina revocata tutior ideoque & acceptior esse videbatur, & ob eam causam brevi ita increbuit ac in tanto honore aliquamdiu fuit, ut hydrargyrosi five illitioni mercuriali, cæterisque aliis ore assumentis mercurialibus remediis ad debellandum virus venereum efficaciter valentibus, proxima acceſſerit; hinc factum, quod methodus hæc, cuius fama ubique dispersa jam fuit, suos fibi invenerit patronos, qui ejus virtutem, efficaciam utilitatemque extollere & publice prædicare fas esse duxerunt. Sic NICOLAUS MASSA y) testatur: „se „inter alios, duos suffumigiis cinnabarinis curavisse, qui,

x) *Aphrodisiac.* pag. 1300.

y) *De morbo neapolitano* Lib. 5. Cap. 7.

„etsi pluries inuncti fuerint, non potuerunt tamen sanari, & ille cum suffumigiis processit usque ad resolutio-  
„nem omnium apostematum, habita ratione virtutis”. Idem 2) narrat: “sæpe se non potuisse aliquos morbum  
„neapolitanum patientes unctionibus sanare, quod tamen  
„suffumigia præstiterunt”. Sic GUILLEMUS RONDELE-  
TIUS a) gloriatur de sanato a se ope suffumigiorum ab ul-  
cere narium a morbo italico nato, quod non potuerat curari a Medicis Italix, neque ab aulicis, neque a cæteris Monspeliensibus. Idem sibi plaudit ibidem de quodam nobili, qui per sex menses Lugduni a Medicis & Chirur-  
gis tractatus fuerat, neque tamen ulla diæta, ullove me-  
dicamento curari potuerat, & cujus ulcus ipse quatuor diebus curavit suffumigis. Sic demum GABRIEL FALLO-  
PIUS b) refert: “se in lippitudine venerea cum inflammatio-  
ne adnatæ & exulceratione corneæ sèpius usum fuisse cauteriis, decoctis, & aliis, sed frustra, cum sympto-  
mata in suo robore persisterint, quamobrem devenisse ad suffumigia, & sanatos fuisse ægros.” Fatetur idem auctor candide: fuisse quendam notarium, quem ipse multum aliis medicamentis incassum fatigavit, & quem postea mul-  
lier quædam suffitibus incolorem reddidit; sed videbimus statim, non diu hos auctores in sua sententia perstis-  
sere, nec eandem amplius defendere potuisse, cum ulteriori ex-  
periencia meliora de iisdem suffumigiis didicerint.

### §. XIX.

Quamvis supra commemorati scriptores medicatio-  
nem eam maxime laudabant, probabant, & faustos illius  
successus

---

2) Ibidem Cap. 3.

a) *De morbo italico in fine.*

b) *De morbo gallico Cap: 69.*

successus jactabant; non potuerunt tamen ulterius dissimulare gravissima illa mala quæ ab eadem metuenda sunt. Curacum suffumigiis inquit c) MASSA, non est tuta & verax, nec sine timore nocimenti membrorum principium, imo ægrotos sæpe recidivare & ad malas ægritudines complicatas cum ista devenire: quæ sunt asthma, tussis, hydropisias, & marasmus; quare non administranda esse, nisi in inveteratis, & in virtute forti cum ægritudine mala, in qua alia remedia non conferunt, & cum maxima observantia aëris & aliarum rerum non naturalium. Rationi curandi per suffumigia ait d) FALLOPIUS, sæpe ac sæpius gravissima succedunt incommoda, nec ita tuto procedit talis curatio, quare semper probavi, ut talem, quantum fieri potest fugiamus, aliquibus enim pessima & lethalis est. Mutat demum & RONDELETIUS pristinam suam sententiam e) dicens: hoc remedium desiderat vires robustas, quia forte est & periculosum. Et sic laudata antea suffituum methodus cecidit exalto.

### §. XX.

Si jam methodi hujus curatoriaæ ipsi patroni & defensores non potuerant inficias ire, quin ut non faterentur, eandem esse dubiam inefficacem, imo periculosam; quid ergo de univerfa ferme turba cæterorum scriptorum dicam, qui eam medendi rationem palam multo magis damnaverant & improbaverant? Sic JOHANNES BENEDICTUS f) affirmatissime scribit: "Suffumigia esse præstantissima venena, ex quorum fumo vidi ipse periisse quendam nobilem pictorem Bononiæ, & mulierem devenisse

c) Ubi supra.

d) Ubi supra.

e) Ubi supra.

f) De morbo gallico Cap. 4.

ad apoplexiā." Sic BENEDICTUS VICTORIUS *g)* censet: a suffitibus cavendum esse, uti ab inimico necem inferente, illis enim suffumigiis pravos & venenosos fumos atque vapores insurgere, qui per os intrantes attingentesque membra & spirationis organa, in hisque decumbentes, sua vi adstrictoria spirationem tollunt, & repente patientem strangulant: pariter quoque per nares ad cerebrum permeant, & organa atque instrumenta facultatis animalis adeo offerciunt, ut in multis pereant sensus & motus, atque facillime fiat lapsus in epilepsiam & apoplexiā, in tremorem & paralysin ac spasmum. Sic ANTONIUS MUSA BRASSAVOLUS *h)* narrat: se quempiam vidisse, qui ex fumo caput petente in apoplexiā incidit, & statim mortuus in terram corruit, & idcirco laudat & jubet, ut æ gri non suffumigentur, nisi capite extra coneptum exerto. Sic ZACUTUS LUSITANUS *i)* affirmat: suffumigia suspecta esse & in actuali eorum applicatione plures esse emortuos, neque proinde iis utendum esse, nisi cum cætera profund, quoniam tunc in conclamato morbo melius est uti aliquo remedio quam nullo &c. Eandem de suffumigiis cinnabarinis sententiam dixit FRACASTORIUS *k)* elegantissimo exprimens carmine:

At vero & partim durum est medicamen, & acre,  
Partim etiam fallax, quo faucibus angit in ipsis  
Spiritus, eluctansque animam vix continet ægram.  
Quocirca totum ad corpus nemo audeat uti,  
Judice me; certis fortasse erit utile membris.

Sic ALEXANDER TRAJANUS PETRONIUS varios modos,  
quibus suffumigium illud cinnabarinum adhiberi potest,

*g)* De morbo gallico Cap. 7.

*h)* Libro de morbo gallico.

*i)* Prax. Histor. Libr. 2. Cap. 1.

*k)* Aphrodisiac. pag. 291.

describens *l)* concludit: Suffumigia, nisi morbo jam inveterato, & ferme jam desperata salute, viribus tamen constantibus, nunquam administrari debere. Confirmat denum hanc veritatem casus ab illustr. VAN SWIETEN *m)* de foemina quadam lue venerea laborante adductus: cum desperatus videretur morbus, & ægra anxie opem quæreret, tentatum fuit, quid facerent suffumigia cinnabaria; sed prudenter tamen & magis refracta dosi. Nolo totum processum hujus casus describere & omnia symptomata quæ occurrebat, enumerare, sed relego quemque curiosum ad locum citatum, summam modo adducens: in hac foemina vis argenti vivi per alvum ruebat statim & hypercatharsin periculosam excitabat cum torminibus validis, opio dato, & sudoribus copiosis, cessantem quidem, sed redeuntem sæpius ac diu; dum penitus cessabat tandem, hydropicus crurum tumor succedit; contabuit totum corpus & mors finem malorum fecit. Charta me, non argumenta deficerent, si omnes sententiam hanc tuentes adducere vellem auctores; mitto ideo plures alias, cum omnes Medici experientia tandem edocti, hanc mendendi rationem jure neglexerint, & ab eadem jam dum abstinuerint. Celeber ASTRUC varias methodos olim adhibitas & nunc ad curandam luem in enereum adhibendas describens, & inter se comparans, de eadem *n)* monet: hæc vero neglecta, rarius sensim usurpata, inefficacia, periculo, imo etiam solo ergastuli pædore infamata, in desuetudinem ita paulatim abiit, ut, cum prior hujus libri editio exiit in lucem anno 1736, affirmare ausim, vix ab annis 80 ægrotum unum fuisse, saltem in Galliis, qui se suffumigiis curandum præbuerit, certe nullum me-

*l)* Aphrodisiac. pag. 2300.*m)* De lue venerea Tom. 5. pag. 513.*n)* De morb. vener. Lib. 2. Cap. 3. editione secunda pag. 177.

dentium tunc in Galliis extitisse, ne unum quidem, qui ea methodo luem venereum curandam susciperet.

§. XXI.

Obsoleverat jam dñdum suffitionum methodus ob rationes, ut superius satis abunde relatum fuit; sed cum omnis generis homines, quibus medicinalis ars cum ignorantissimis etiam ignota est, falcem suam in alienam messem immittant; venit ideo, continuat idem auctor, Lutetiam Agyrta quidam nomine CHARBONNIER, qui illico methodum novam (suffumigia intellige) curandæ lui venereæ a se repartam prædicabat, brevem, facilem, efficacem, sine periculo, sine incommodo ullo esse affirmabat; sanatorum a se numerum gloriosius jaçtabat & mirum in modum amplificabat; testes ultraneos producebat, sive a se fanati essent, sive potius, ut agyrtæ quotidianum hoc habent, ex compacto præconium illi præberent. Pollicitationibus cuncta urbis compita implebat: *Ambubajrum collegia, mendicos, mimos, Balatrones*, id genus omne in suas partes trahebat: demum stupore vulgi, quod ubique stulte credulum est, & novitatis mire appetens, permultorum animos permovet, allectabat. Intererat ideo reipublicæ quid de suffitionum viribus & facultate sentientium esset certo definiri, ne, si forte inefficaces aut noxiæ, circulatoris deliramentis vel facinoribus præter æquum & bonum permitteretur civium incolumitas; ne contra, si proficuæ essent, temere repudiaretur medicina fortuito quidem oblata, sed quæ a peritioribus exculta, potuisset non mediocrem utilitatem habere, quapropter visum est magistratibus remedii effectus iteratis periclitationibus explorare, palam instituendis coram Medicis, quos facultas parisiensis, penes quam jus & norma decidendi, diligere jussa erat, ut tentamentorum omnium testes ad essent oculati & idonei, utilitatumque, si quæ inde emer-

gerent, judices æquissimi. Dictum factum. Sed quot periclitationes coram Medicis institutæ, quot in unaquaque periclitatione & cuius sexus ægroti, quæ eorum nomina, ætas, qua specie luis venereæ affecti erant, cum ad suffitiones selecti fuerint, quo modo suffumigator ille cum suffumigiis suis & quamdiu procedebat, quomodo singuli valebant tempore curationis, quænam symptomata occurrabant, & qui eventus secuti fuerunt &c.? Omnia hæc a celeber. ASTRUC collecta & accuratissime descripta in tomo I. de morbis venereis libro 2. capite nono editione altera, quæ legi imo relegi merentur; sed cum hæc nimis prolixa sint, nolui ideo lectoribus meis, omnia speciatim recensendo, molestus esse; quale tamen de periclitationibus illis earumque eventibus judicium ferendum est, summam consectoriorum omnium hic apponendam esse necesse duxi.

I. Inter ægrotantes numero XXXVII. in quibus periculum suffitionum factum fuit, nullum fuisse, qui gravissima, imo ne qui gravi lue venerea infectus esset, sed in plerisque cutaneas tantum adfuisse affectiones, ad quas delendas exploratum est, suffumigia efficaciter valere, etiam non eradica morbi causa.

II. Ægrotantium singulos curationem per Anathy-miasim expertos fuisse æque diurnam, æque difficilem, æque laboriosam, ac per hydrargo-rofum esse solet, si forte non diurniorem, difficiliorem, magis laboriosam.

III. Ea medicationis methodo mortem quatuor operiisse; duos nempe in periclitatione prima, unum in secunda, & unum in quarta, quantumvis singuli ex morbo leviter ægrotassent, & essent ætate integra & valida constitutione.

IV. Ex illis XXXVII. ægrotantibus, qui suffiti fuerunt, viginti duobus ad minus, hoc est plus dimidio.

D 3

suffisiones frustra fuisse, cum inde fructum nullum perciperent, certe cum nullo modo sanati fuerint.

V. Ad summum ex illis XXXVII. fuisse XI. hoc est proxime partem tertiam, qui pro sanatis habiti fuerunt, sed quorum nonnulli brevi temporis intervallo recidivam luem experti sunt, quanquam, ut sanctissime juraverunt, nullum novae contagionis admittendæ periculum adigrint, & a venere omni caute abstinuerint.

### §. XXII.

Quod si nunc vel ea solummodo, quæ jam a veteribus Medicis de hac, per suffumigia luem venereum curandi ratione observata fuerunt, considerentur, qui, et si omni adhibita præcautione omnibusque servatis medicinæ legibus, eam instituerint, non potuerunt tandem dissimilare & non unanimi affirmare eandem esse noxiā, & hanc ob causam jam diu ab iisdem neglecta est. Quantæ ergo strages contingere olim debebant, dum agyrtæ, circumforanei, balneatores, mulierculæ, & quivis alii de face plebis, neglectis ex sola ignorantia omnibus præmissis & præmittendis, incerta nec determinata cinnabaris dosi, nulla habita circumstantiarum ratione, quam ægri & ipsius morbi, tam diætæ, aliarumque rerum non naturalium, hanc periculosam curam tentare audebant. Nec meliori via, hodierni etiani nostri plebeji suffumigatores, in hac curatoria methodo procedunt, qui provinciam hanc mendendi, solius quæstus causa, non vero ægrotantium levaminis in se suscipiunt, & sacra hæc, non tam ex defectu Medicorum, quam potius vulgi præjudicio, illotis, ut ajunt, tractant manibus. Hi enim morbos a morbis distinguere non potentes, sæpe ægrotos, ne hilum quidem luis venereæ, sed pro�us alium morbum habentes, huic pericolosæ curæ submittunt. Morbi gradum, si revera

venereus esset, nescientes, ægri temperamentum, præsentem ejus, in quo versatur, statum ignorantes, nullam præparationem, faciunt, nullam præcautionem habent, nec, quænam, & quomodo ea facienda esset, norunt. Neglectis itaque omnibus præmissis, ægrum vestibus indu-tum jubent supra doliolum, in quod ollam prunis plenam ponunt, inclinare caput, illud multis vestimentis tegunt, ne fumus cinnabaris ex doliolo exire possit, & compo-sitionem cinnabaris ignorantes, nec unquam de ejus do-si cogitantes, sed pro lubitu suo eam determinantes, injiciunt cinnabarim prunis, ægrotis suis persuadentes, ut illi, qua potis est, diutius se sub vestimentis istis, incli-nato in doliolum capite, & ore aperto detinerent, ipsi interim cinnabarim per vices injiciunt. Et sic nec tem-pus, per quod actus iste prolongari deberet, suffumigato-res illi determinant, nec dosim cinnabaris statuunt, do-nec ipsi patientes, venenosum sulphuris vaporem ferre ulterius non potentes, & fere suffocati, vestimenta illa, contra voluntatem suffumigatorum, de se dejiciant, & hoc ipso ab imminentे morte se liberent. Aëris hypo-causti, in quo actio hæc fit, rationem nunquam respici-unt, nec intelligunt. Post multas, absque omni ægro-rum levamine, repetitas suffusiones, unicum ac commu-ne, ad excusandam suam ignorantiam, habent refugium, quod scilicet morbus horum ægrorum immedicabilis sit. Et sic miseri, tam crudelem curam passi, & a pristino suo malo non liberati, frustrantur etiam spe, se in poste-rum curatos fore. An ergo meliores hodie, quam qui olim visi fuerunt, expectandi sunt a fumigatoribus even-tus? certe iidem, non vero alii. Vidi duos, quorum morbi, (an vero certe venerei? ipsi ignorant,) hac arte a fumigatoribus tractati fuerunt, & quibus dentes, omnes ad unum, deciderunt, hinc edentuli & rauci fa-ci, loquela & masticatione orbati, miseram transigunt

vitam, licet viribus robusti, & juvenili ætate sint. Si porro periclitaciones illæ, vel nostra jam ætate cum suffumigiis, in lue venerea affectis, institutæ accurate perpendicularuntur, & ad amissim examinentur, quis medentium rationalium modo sperare non vero affirmare auderet, potuissest? tot e XXXVII. ægrotis ad plures abituros, tot imperfecte sanos evasuros, licet levi malo affecti fuerint, tot brevi tempore post curam, recidivam passuros, absque omni, novi contagii, admissione, si iidem ipsi patientes alia, tutiori & efficaciori methodo, sub iidem cautelis tractati fuissent? certe nullus, me saltem judice. Tot ergo plurimum medentium observata, licet clarissime evincent, methodum, per suffumigia luem venereum curandi, non modo inefficacem, sed etiam periculosam & noxiā esse; sed cum omnia hæc, modo a posteriori petitā sint, quæ tanquam superficialia, quisqne, etiam hospes in medicina, videre & observare potest, quamvis causam ignoret. Non sufficit ergo, Medicum rationalem modo speculatorē agere, & his, quæ videt, contentum esse; quum ejusdem sit horum omnium rationem etiam reddere. Nostri ergo interest, ut a priori etiam probemus, rationem, per suffumigia cinnabarina luem venereum curandi, inefficacem, nec tutam, imo periculosam & noxiā esse, simulque perpendicularūt, an eadem, in malis saltem topicis a lue venerea ortis, ut quidam volunt, locum obtainere potest.

## V.

*Probatum itur, ut àjunt a priori, methodum per suffumigia cinnabarina luem venereum curandi, inefficacem, nec tutam, imo periculosam & noxiā esse, simulque perpendicularūt, an eadem, in malis saltem topicis a lue venerea ortis, ut quidam volunt, locum habere potest?*

§. XXIII.

## §. XXIII.

Postquam, tam multos, superius jam relatos, & infaustos cinnabarinæ suffisionis eventus vidimus; devenimus tandem ad considerandam eorum causam; ut vero horum omnium nodus solvatur & ratio extra omnem dubitationis aleam patefiat, chemia nobis erit cynosura; cum unice illius ope omnium corporum naturalium compositiones penetrantur. Mediante ergo illa & cum cinnabari nostra sumus processuri. Si nativæ cinnabari sal alcali, lapis calcareus, aut creta adduntur, vel loco horum metallum aliquod, quæ inter se mixta, committuntur retortæ, hæc vero balneo arenæ, & instituitur revificatio, videmus mercurium in præpositum excipulum aquam habens transcedere, substantiam vero cinnabari adjectam in retorta cum sulphure, quod hydrargyro junctum cinnabarim constituerat, unitam remanere; obtinemus itaque ex cinnabari per analysin hanc mercurium & sulphur. Eandem cinnabaris compositionem declarat etiam alia methodus synthetica dicta: sulphuris enim liquato, si hydrargyrum sub perpetua agitatione adjicitur, & agitatio illa continuatur, usque dum omnes globuli mercuriales disperuerint, surgit inde pulvis niger, qui, cucurbitæ prius immissus & balneo arenæ impositus, atque parem caloris gradum passus, post refrigeratum denum vas, repræsentat nobis veram cinnabarim, quam factitiam dicunt. Cinnabarim ergo, tam analysis quam synthesis o) clarissime evincunt, ex sulphure & hydrargyro componi. Post cinnabarim vero in ejus principia constitutiva resolutam, veniunt nunc eadem ipsa seorsim consideranda; utrum scilicet eorum, in lue venerea, per suffumigia cinnabarina

---

o) Vide illustr. SPIELMANN Instit. Chemic. experim. 93.

curanda, esset activum? Jam vel me tacente quisque rerum medicarum gnarus affirmabit, sulphur in suffitu cinnabino nihil ad rem facere, omnem vero efficaciam, in hoc etiam casu, a solo mercurio expectandam esse; cum idem ipse absque omni sulphuris additione, tam crudus in forma unguenti corpori humano exterius illitus, quam chemice etiam preparatus & interne sumptus, omni non tempore efficacissimus ad curandam luem venereum a medicis observatus fuit, quo, nec nostra etiam aetate, praesentius ac valentius contra hoc malum, habemus remedium, qui ideo omnibus aliis antivenereis medicamentis jure praecepit palmam.

#### §. XXIV.

Quamvis mercurius his duobus modis, nuper relatis, in lue venerea adhibendus, tutissimum, & quasi speciem remedium sit, ut tot multorum medicorum experimentis comprobatum habemus; sed nostrae adhuc considerationis est, ut decidamus, an idem ipse mercurius, ope suffitus cinnabarini, in eadem lue venerea, tam tuto & cum eadem efficacia, ac in duobus prioribus modis, administrari potest? si autem, quid esset causa? Ut vero, quod ajunt, rem acu tangamus, alterum cinnabaris principium, sulphur scilicet, considerandum est, in quo examinando eandem chemiam certissimam magistrum sequemur. Sulphur ex principio inflammabili & acido vitriolico constare, luce clarius probatum p) habemus. Si jam nunc ipsam cinnabaris operationem accurate examinamus, & in effectus ab ea provenientes, sollicite inquiramus, facile horum omnium rationem reddere possumus.

---

p) Idem ibidem experim. 27.

Dum cinnabaris prunis inspergitur, sulphuris principium inflammabile accenditur, & ardet in flammam cæruleam erumpens; acidum vero vitriolicum, alterum sulphuris principium constituens, & mercurius vivus, ad compositionem cinnabaris sumptus, nullo ulterius compede ligata, & vi caloris agitata, attenuantur, ejusque violentia volatilia redduntur. Ita igne consumitur pingue combustibile, dissipatur ponderosum acidum, mox coagulandum proprio pondere, simulac extra dispersentis flamme vim dispersum. Hinc accensi sulphuris, certa animalia suffocans vapor, os apertum & nares intrans, atque viam aëream cum inspiratione petens, applicatur nervis, musculis laryngis interstitia segmentorum cartilagineorum in aspera arteria nectentibus, bronchiis vesiculisque. Hinc spasmo convulsos contrahit adeo, ut pulmo in tussim anhelam quassatus frustra, & fere penitus contractus, non patiatur, se expandi ab aëris pondere, licet laborioso, at inani anhelitu dilatetur pectus. Unde subitanas suffocationes, vel si hoc malum effugitur, tusses periculosas, immedicable asthma sequi, nec non sœpe phthisi pulmonali originem dari, quisque facile largiri potest.

### §. XXV.

Sed in ea ratione, dum sulphuris principium inflammabile comburitur, & acidum ejus in vaporem dissipatur, mercurius quoque eodem ipso calore agitatus, & in metaphysicas atomos divisus, atque volatilis redditus, glandulis faecium mucosis ac salivalibus, ad quas humores per os excernendi, naturaliter ruunt, applicatur, & eos vi sua magis attenuat. Hinc fit, quod brevi tempore post suffitum, non pauca salivæ copia per os effluat. Et licet oris, gutturis, aut narium, quæ hæc loca sœpe de-

E 2

pascunt, ulcuscula venerea per hunc actum depurari, vel & consolidari observentur; non sequitur tamen ex hoc concludere & affirmare, totum jam malum venereum ablatum esse; cum mercurius fluente saliva, & ipse cum ea statim eliminatur, qui alias deberet prius corpus humanum intrare, sanguini tradi, vim arteriarum experiri, dein universæ humorum massæ communicari, & ad eam attenuandam, certum aliquod tempus, sat tamen longum, vel per minutissima vasa circumducī, tandem ad glandulas faucium mucosas atque salivales pervenire & demum fluxum hunc efficere. Docent hoc duæ, supra commemoratæ methodi, quibus mercurius ad curandam luem venereum adhibetur. Ille enim chemice præparatus & ore sumptus, vel crudus in forma unguenti externe corpori humano mechanice applicatus, non statim nec per duas aut tres horas, ut post suffitum cinnabarinum accidere soleat, & ex exemplo ab illustr. VAN SWIETEN adducto pateat, sed ad summum post quatuor tres dies, hunc salivæ fluxum in ore excitat. Hæret igitur ille in corpore longum tempus, & humoribus mixtus, permeat eum istis omnia vasa, atque demum ad hæc loca perveniens, hunc effectum producit; sed in hocce nostro casu, de quo hic sermo est, aliter res se habet: nam idem mercurius immediate & primo petit hanc excretoriā viam, quam alias ultimo & mediate, ut in duobus prioribus modis vidimus, attingere debuisset. Mercurius itaque, per suffitum cinnabarinum, ad curandam luem venereum adhucitus, licet vasis excretoriis oris communicetur, & statim saliva fluxum per os excitet, sed intacta reliqurum humorum massa; hinc habemus rationem, cur, hac methodo curati, nunquam perfecte sanati fuerunt, &, pro sanatis habitu, nullo novo contagio admisso, semper recidivant, ut ex periclitationibus a celeberr. ASTRUC

collectis, & multorum aliorum observationibus evidenter patet.

### §. XXVI.

Etsi omnis Medicorum schola non amplius jam doceat de suffumigiis cinnabarinis in lue venerea adhibendis, nec ullus medentium rationalium nostra ætate his (præter agyrtas & plebem,) utitur, sed omnes methodum hanc pro imperfecta, periculosa & noxia, jure agnoscant; non desunt tamen, qui alteri opinioni annunt: methodum scilicet hanc, in malis topicis a lue venerea ortis, adhiberi posse. Illuſtr. VAN SWIETEN methodum hanc per suffumigia luem venersam curandi considerans, & cum aliis methodis mercurialibus comparans, licet non neget, eam esse periculosam, & a sulphuris vapore suffocante subitam mortem, vel alia gravia mala sequi posse; non declinat tamen in totum ab hac methodo, dum q) dicit: "Subinde tamen cinnabaris suffumigium adhibetur ita, ut, topica determinatione, fumus ille tangat quasdam partes; bubonem e. g. in inguine, durum, qui suppurantibus remediis pertinaciter resistit, ulceræ venerea narium periculosa". Sic celeber. ASTRUC, qui optimum tractatum de lue venerea conscripsit, & totus in eo est, ut probet, anathymiasim, seu suffitionum methodum, nullatenus cum aliis comparandam esse, eamque pulmonibus noxiā, fallacem, & multis aliis de causis periculosam, & qui tam multa & varia, ad probandam hanc veritatem, collegit exempla, de quibus jam supra dictum fuit; relinquit tamen & is litem sub judice, dum sic ratiocinans r) ait: "quod si forte tamen suffitiones sub

q) *De lue venetea* Tom. 5. Comment. suorum pag. 516.

r) *De morbis vener.* lib. 2. Cap. 13. pag. 243. editione secunda

cenſu medico etiamnum retinendæ videantur, ne sit quærendi locus quidquam arti detrahi, non tanquam catholicum, seu universale remedium, cuius vicem implere minime possunt, sed tanquam topicum, cutaneis seu localibus tantum affectionibus adhibeantur, contra quas vulgo creduntur pollere efficacissime". Post hæc recenset idem auctor casus, in quibus suffitiones illæ cinnabarinæ adhiberi possunt, quos tamen omnes hic mitto, sequentes modo adducens, de quibus illæ ibidem sic pergit: "in ulceribus callosis, foetidis, dysepulotis oris vel narium, cum ossium substratorum carie, quæ ab inveterata lue venerea ortum habent". Addit tamen sequentia: "in his tamen ulceribus, si HERMANNUS s) BOERHAAVE audiendus est, suffumigia ex cinnabari, parvo & fæpe infortunato successu adhibentur. Relinquit igitur celebris vir lectores suos in dubio, &, quod una manu dat, altera eripit; nam conditio nihil possit inesse.

### §. XXVII.

In his itaque, tam magnorum in arte nostra viorum, contrariis sententiis, nihil nobis certi & veri assumere possumus, nisi prius proprium nostrum judicium ad id adhibeamus; & cum materia hæc sit nostrum objectum in quo nunc versamur, liceat igitur & nobis qualemque ratiocinium in hoc caſu adferre: dum fumus cinnabaris ulceribus venereis os vel nares depafcentibus, qualicunque velles modo, applicatur; nequaquam tamen evitari potest, quin idem suffocans vapor nares & os petens, cum inspiratione, ad quam peragendam lege naturæ omni momento cogimur, pulmones non intret; per consequens


---

s) Operat. chemic. part. 3. proceſſu 202.


eundem noxiū effectum in iisdem producet, de quo  
 jam supra abunde dictum fuit. Est ergo primum argu-  
 mentum, cur suffumigia cinnabarina nec topica quidem  
 determinatione, in hoc casu tine noxa pulmonum adhi-  
 beri possunt. Alterum argumentum idem erit ac superi-  
 us: a mercurio scilicet ad ulcera hæc delato, licet eadem  
 depurentur vel consolidentur, sed non eradicate eorum  
 causa, quæ in tota humorum massa hæret, & ad quos  
 mercurius non pervenit, unde semper recidivum malum  
 sequitur; & hanc ob causam methodus hæc ad curandam  
 luem venereum est imperfecta & fallax. Stabit ergo fen-  
 tentia lagacissimi BOERHAVE semper vera & firma, qui di-  
 xit: suffumigia cinnabarina adversus venerea mala narium  
 oris, gutturis, parvo & sape infortunato, successu ad-  
 hiberi. Post hæc a nobis considerata, veniunt nunc eo-  
 rundem suffumigiorum ad alias corporis humani partes,  
 e. g. bubones, tophos, exostoses, gummata, ganglia  
 dolores artuum, &c. ut iidem præclarí viri volunt, topi-  
 cæ determinationes dijudicandæ. In his quidem casibus,  
 nihil nobis tale metuendum habemus, ac in prioribus,  
 respectu pulmonum; sed, an plus nobis emolumenti ex-  
 inde polliceri possumus, quam in prioribus, perspicien-  
 dum est. Dum cinnabaris comburitur, mercurius vi ca-  
 loris fertur sursum, qui alias pondere suo semper nititur  
 deorsum; sed caloris columna, quo longius extenditur,  
 eo fit debilior; ergo plurimi jam globuli mercuriales, a  
 vi caloris diminuta sustentari non potentes, pondere suo  
 cadunt deosum, vel, majori ejusdem caloris vi, ad varias  
 partes dissipantur, antequam hæc loca tangant. Etsi qui  
 eorum prædicta loca tangant, sola caloris vi in corpus  
 humanum impingi non possunt; nec mercurius, sicco  
 corpori applicatus, ab eodem resorbetur, nisi validus  
 mechanismus, ut in frictione mercuriali ope manuum sit,  
 ad id accedat. Hanc comparativam suffumigiorum ad

varia loca adplicationem perspexit & celeber. VAN SWIETEN dum t) ait: "videtur satis constare, potentius agere cinnabaris suffumigium dum naribus & ore attrahitur;" addit tamen: sed quanto cum periculo suffocationis hoc fiet. Jam vellem, ut præclari illi viri, ipsi sibi contradicentes, (si hæc non sufficiunt) nos doceant, ob quasnam rationes (de quibus tamen illi prorsus tacent, licet usum suadeant) hæc suffumigia adhibere deberemus? Exulet ergo ex medicina, hæc noxia, & semper imperfecta curandi methodus; nec veniat unquam, apud æquos rerum æstimatorum, in contentionem honoris & utilitatis; neve hoc ipso, agyrtis, & plebi præbeatur ansa, nam: *salus populi suprema lex.*

t) Tom. 5. de lue venerea pag. 514.







**ULB Halle**  
008 565 791

3





14

DISSERTATIO INAUGURALIS  
MEDICO-CHEMICA  
DE  
**ANATHYMIASI**  
**CIN**

DE O  
GRATIOSA

PR  
SUMMOS  
ET PR  
RIT

INCLYTA ARG  
SOLENN

ANN  
**DIONY**

Excudebat JO

